14

ELOGIUM

MARIAE TERESIAE AUGUSTAE

A JANUARIO VICO

INSCRIPTUM.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

NEAPOLI EX TYPOGRAPHIA BERNARDI PERGER

VINDOBONENSIS.

QUid naturae Fortunaeque certamen efficere poſſet, quantum utraque, etſi non aequis viribus, enixe contendiſſet, in Te tandem compertum eſt, MARIA TERESIA AUGUSTA, ut non incertum, quantum quaeque Tibi ſit largita, cum utraque cuncta in Te effuſe contuliſſet; ita ut quae alia aliis egregiae naturae, & ſummae Fortunae bona tributa, ne quid tuae videretur defuiſſe Felicitati, in Te cumulata intelligerentur. Corporis forma, qua omnes elegantiſſimas anteiſti, caeleſtis animi domicilium praeſeferebat, qui, cum plurimum de Caelo duxiſſet, ipſe ſibi finxit hoſpitium, non mollis, nec ad venuſtatem compoſita; cum virilibus curis omnes feminarum imbecillitates exuiſſes; ſed decora, & plena Majeſtatis, ut vel ignoti, quaſi ad Auguſtiorem humana ſpeciem, proni ac venerabundi vultum dejicerent. Perraro quidem in temporum memoria exemplo, Caeſarum Filia, Conjux, Mater; & Mater felici foecunditate; cum etiam fortuita in tuam ceſſerint felicitatem. Quae ſingula vitæ officia in admirationem tui, atque ad omnium exemplar, praeſtitiſti: Filia optima, optima Conjux, Mater optima; ut ad optima quaeque nedum nata, ſed facta viderere. At Pietas (1) & Fides, in quibus etiamſi

(1) *Pietatem hic pro obſequio in parentes accipio, Fidem pro conjugalibus officiis.*

etiamſi ſummum tetigeris, tacitae ſunt, & anguſtae Virtutes, intra laudem, & infra Majeſtatem. Subobſcura Tibi nomina, quae cuique praeclara, ut parum digna Principe nata ad implendum Terrarum Orbem Gloria Nominis ſui. Sonantiores, excelſioreſque virtutes animo tuo inſederant, nec placida ſocietate conjunctae, ſed ſecum concertantes, ſingulis Te ſupra humanam evehere fidem annitentibus: & quaeque, voti compos, victoriam reportavit. Hinc factum, ut omnes Gentes, Te, ut ampliſſimarum Generis tui ditionum, ita omnium Auguſtiſſimorum Majorum virtutum heredem ſint admiratae; nec admirari ceſſabit poſteritas: in tuis Hiſtoriis fortaſſe, & Annalibus? Non tam invida fuiſti poſteritati, ut tua praeclara facinora in Hiſtoriis tantum, & Annalibus ſuſpicerentur; ac proinde Te deſideraret. Paſſa non es, Ampliſſimum Genus, & excelſas virtutes tuas cum Genere, & Tecum extingui; ſi extingui poſſit, quae tantam poſt ſe lucem reliquit, cum hominum genere interituram. Liberis tuis quaſi per manus eas colendas tradidiſti: a Te enim, praeclara Regnandi Magiſtra, Liberi tui omnes Regnandi artes didicerunt. In quo ſane tanta cum omnium admiratione Optimae Parentis munus expleſti, ut Aureliam Caeſaris, Atiam Auguſti Matrem, viceris; ne tantum vetera extollamus, recentium incurioſi. Hoc mirum quantum fontem auxit Gloriae tuae: hinc ſcaturigo tot tantarumque Gentium, quibus modo imperitant Liberi tui, Felicitatis. At nequeo ſatis mirari, quid de Te tam demiſſe ſenſeris, niſi animi aequitate factum: cur tanta cura & ſedulitate, quaſi cuncta regendi onere ſolutam, Liberorum inſtitutioni praefuiſſe, ut eorum vel remiſſiones luſuſque ſanctitate quadam, ac verecundia temperarentur; ut animi nulla pravitate detorti toto pectore virtutes haurirent? Cur tanto ſtudio clariſſimos undique conquiſiſſe praeceptores, ſi domi haberent, unde ſolidas, non ſpecioſas virtutes diſcerent? Nonne ſatis ſuperque erat, Teipſam intueri? Quidni Principum Optimi fierent, aſſiduae Auguſtae Parentis conſuetudini a teneris aſſueti, omnium eminentiſſimarum Virtutum comitatu circumfuſae, Celſiſſimo Solio miniſtrantium? iis innutriri? iis conſueſcere? & quandam cum iis quaſi cognationis inire ſocietatem? hinc mores; inde natura. Quotidie Te contueri, quae Auſtriam Pietatem tam in altum extuliſti, Deum pure & caſte adeuntem, & omnia rite exolventem officia Religionis: in qua quo magis emineres

in

in ejus cultum amplificandum tantum profudiſti, ut pene vix opes ſufficerent tuae. Praeterea Ampliſſimo Crucis Ordine inſtituto, Matronis eo adlectis facem quaſi praeferebas, ut cujus geſtarent imaginem, ejus exemplum imitarentur. Contemplari quotidie Juſtitiam tam ſancte cultam, publicae Praeſidem ſecuritatis: quibus duobus firmiſſimis munimentis Imperia innixa. Nunquam a Clementiae tuae latere diſcedere, praeclarae Imperantium virtutis, omnia mollius accipientis; ac prae ceteris propriae tuae, qua Clementiſſimae Nomen in omne aevum es adepta. Quis Te terrarum Orbem ſubigere dignam non putaverit, quae Teipſam tam facile viciſti; tamque prompte inſurgentes domuiſti animi motus? Ad incredibilem tuam adhaereſcere Conſtantiam, qua ex eodem Faſtigio deſpectans utramque fortunam, neque adverſis frangi, nec corrumpi ſecundis eos docuiſti. Sciunt enim omnes quam dura, quamque aſpera fuerint initia Imperii tui: quot quantiſque hoſtium copiis appetita, fortaſſe putantium, Reginam vix XXIII. annum agentem, novam, nutantem adhuc, nullo negotio aggredi poſſe. Quorum omnium conatus, quo admirabili Conſilio, ac robore animi virilem fortitudinem ſupergreſſo retuderis: quantaque cum felicitate, & immortali gloria tua infeſtam armorum vim, undique minitantium, ſemper diſpuleris, teſtis ſplendidiſſimus MARIAE TERESIAE Ordo, praemium ampliſſimum, quo tuorum fortia facta rependeres, ut Inſigne ipſum Auguſti Nominis tui, vel jam adeptum jure gerendi, vel promerendi gratia, Cos fuerit verae virtutis; ac proinde Seminarium triumphorum tuorum; ex quo non minus uberem Gloriae ſegetem collegiſti, quam ex tot Collegiis aut ad informandos animos, aut ad artes excolendas inſtitutis; ne bellum pacis opera turbaret, ut pax ſtudia belli ſuſtineret. Quare belline, an pacis artibus Major fueris, incertum adeo, ut in Te tandem ſit intellectum, quid ſibi voluerit obſcuris vera involvens Antiquitas, eidem Deae Palladis & Minervae nomen tribuendo. Tuam ſemper ſuſpicere Magnanimitatem, qua tuam potentiam nemo, niſi aut in levatione calamitatis, aut in dignitatis ſenſerit acceſſione. Effuſae intereſſe quotidie liberalitati, quae omnibus affuit, defuit nemini: magnitudinem ſummae Fortunae ſola metiens benefaciendi voluntate: qua in re intelligi poteſt, quantum illis Generis humani Deliciis praeſtiteris: ille inter amicos amiſſum diem querebatur, quo beneficium

ali-

aliquod non contuliſſet; tu, quo non plurima; ut ſi ratio eſſet ineunda & beneficiorum, & dierum tuorum, ſingula ſingulis tribuendo; dies tui ſane quidem nominis aequaſſent immortalitatem. Quod ſi in ſingulis virtutibus nemini, niſi Tibimetipſi, comparanda; quid in complexu omnium? A Te praeclara diſcere humanitatis officia, qua nihil amplitudini comitate, nihil benignitate Majeſtati detraxiſti. Nunquam, niſi in ſuſcipienda calamitate, tui oblita; ſemper in dignitate amplificanda memor tui. Nunquam difficiles ad Te aditus: nemini durum oſtium Regiae tuae: nullus unquam Te inter ſubjectoſque impenetrabilis murus interfuit. nunquam ausi amici vias Te adeuntibus obſtruere, ut eorum deſideria a Te prohiberentur: At quî poterant Soli nubes ſuffundere, cuncta inſpicienti, ut univerſis idem lucis ac caloris largitetur? Qua alacritate de celſiſſima deſcendens Sede Faſtigii tui vel humillimorum precibus occurrebas? ut qui ad Te tanquam ad Numen acceſſerant, tanquam ab ipſa Facilitate excepti regrederentur. Quis a Te, niſi aut voti compos, aut ſpe certus diſceſsit? Si hae praeclarae virtutes, quaſi primae admiſsionis comites & miniſtrae, tuo Solio praeſto erant; aderant & ſecreto Tibi familiarius inſervientes; ne quaeſita in publico Gloria domi partae officeret; neve domi parta publice quaeſitam obumbraret. Quod bella non ſuſceperis, niſi laceſſita, manſuetudini tuae primum tribuendum, bellorum calamitates refugienti. Huc accedit etiam, quod non mirum, ſi ſemper fueris pacis Comes, otii Socia, Studioſa tranquillitatis: verebaris enim, neque injuria, ne ipſo rumore belli, nedum armorum ſtrepitu, commercium intercluderetur, desereretur agricultura; ac proinde duo maxima publicae Felicitatis opera corrumperentur, luculentiſſima inſtrumenta Gloriae tuae, tot ſapientiſſimis legibus conſtituta. Hanc ampliſſimam hereditatem Principibus Liberis reliquiſti, ſplendidiſſima exempla virtutum tuarum, fortaſſe majorem magnitudine Imperii tui. Non mirum, ſi Mater Optima fueris Liberorum, cum Optimae Imperii Parentis cognomen merito ſis aſſecuta. Effeciſti, ut non amplius ambigatur, num Auſtrium Genus, ad Imperium natum, majori Gloria coeperit, quam occiderit? imo Soli potius aſſimiletur, cujus jubar ſaepenumero magis quam in ortu, in ſuo occaſu per ſudum rutilare ſpectamus. Quis terrae angulus tam impervius, quae tam inhoſpita tellus, quae tam barbara natio, quo non

per-